



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Sect. I. De Scholasticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

b P. 1. c. 2. §.  
4 & c. 3. §. 16.

pedit admittere inutiles Congregationi, licet ipsis-met non inutile foret admitti. *b* Convenit igitur coöperari vocationi divinæ, ut augeatur in Societate numerus Operariorum in vinea Christi Domini nostri: sed etiam considerari oportet, ne quis admittatur, nisi qui donis illis Dei præditus sit, quæ hoc Institutum exigit. *c*

c P. 1. c. 1. §.  
4. & C.

## SECTIO I.

### De Scholasticis.

*Quid desiderandum in Scholasticis, quoad animum.*

1. **A**T qui ad juvandam Societatem in rebus spiritualibus in Societatem admittuntur, quoad animum attinet, polleant doctrina sana, vel aptitudine ad eam addiscendam, & in rebus agendis discretionem, vel certè indole boni iudicii, & memoria. *d* Sint præterea universæ virtutis & perfectionis spiritualis studiosi, quieti, constantes, strenui in rebus divini servitii, & zelo animarum incitati ad nostrum Institutum amplectendum. *e*

*d* Ex. c. 5. & P.  
1. c. 2.

*e* P. 1. c. 2. §. 8.

*Quid in iisdem quoad corpus & bona externa.*

2. Quoad corpus pertinet: specie honesta, bona valetudine, ac viribus, quibus ferre possint nostri Instituti labores. Exoptanda etiam in eis sermonis gratia, ad agendum cum proximis pernecessaria. *Ætas*, ut proximo capite dictum est, debet

bet excedere 15. annum, nec superare 50. Nam qui aut illum non expleverint, aut hunc excefferint, à Provinciali recipi non possunt. *f*

Dona externa nobilitatis, divitiarum, bonæ famæ, & similia, ut non satis sunt, si defint alia; ita cùm alia suppetent, hæc non erunt necessaria; quatenus tamen ad ædificationem faciunt, reddunt magis idoneos, ut admittantur. *g*

*f* P. 1. c. 2. §. 9.  
10. 11. 12. &  
Reg. Prov. 36.

*g* P. 1. c. 2. §. 13.

S E C T I O II.

De Coadjutoribus Temporalibus.

1. **U**T particulatim verò de iis loquamur, qui in Coadjutores Temporalès admittuntur; in primis non debent esse plures, quam qui necessarii sint ad sublevandam Societatem in iis rebus, in quibus occupari Sacerdotes & Scholastici non possunt sine detrimento majoris boni. *b* Et sanè magna cautio in iis admittendis adhibenda est, qui literati, milites, nobiles, aut delicatis ministeriis assueti, nec minor etiam erga rudes. *i*

*Non multi, nec ex conditione qualibet.*

*b* Ex. c. 6. §. 1.  
& P. 1. c. 2. §. 2. & A & Reg. Prov. 39.

*i* Instr. 6. §. 4.  
*Quoad animum.*

2. Cæterum quod spectat ad Animum, debent esse quieti, tractabiles, bonæ conscientiæ, propensi ad devotionem & virtutem, sorte Marthæ contenti, benè affecti